

sem legere, quam lectum, & male explicatum a Pharisaeo, audire. Sed nouit optimus Seruator, tanta efficacia diuinitus armatum esse in ecclesia ministerium, vt, si vel maxime minister, in se saluando, negligentior sit, in aliorum tamen illuminationem, conuersionem, fidem influere, virtute, non ea, quae verbo Dei competit, sed sibi propria, & diuinitus communicata, posfit. b) Reliqua momenta ex superioribus patent.

§. II. Possunt & alia loca vrgeri. Nam, quicumque a) poterant *peccatum in Spiritum S. committere*; b) *agnoscebant voluntatem Dei*; c) ideo, quia agnitam non faciebant, *plus erant, quam alii puniendi*; d) *erant duces, ductores, lumen aliorum*: illi & ipsi erant illuminati, & alios illuminare potuerunt. Atqui Pharisei. Ergo. Maior. Quia a) peccatum in S. S. non possunt committere, nisi $\Phi\omega\tau\iota\delta\epsilon\upsilon\tau\epsilon\varsigma$, Ebraeor. VI, 4. b) nec voluntatem Dei agnoscere, nisi ex viribus gratiae, I. Cor. II, 14. c) ratio autem dari non potest, cur plures plagas, quam alii, fuissent toleraturi, quia perinde eam ignorassent, vt alii; d) lumen aliorum nemo esse potest, nisi ipse sit illuminatus a gratia, & illuminare possit. Minor a) Matth. XII, 32. b) Rom. II, 18. c) Luc. XII, 47. 48. d) Rom. II, 19. Paulus enim I. c. α) adscribit Iudaeis *notitiam voluntatis diuinae*, nam (vtar hic versione Langiana in Anti-Bar. p. 308.) *agnoscebant voluntatem Dei*; β) ostendit *formalem eius rationem*, quod *praestabilia approbauerint* (en tibi non obiectiuam modo, sed & subiectiuam notitiam! en tibi non modo perceptionem veri, sed & perceptionem veri veram) vel, vt Bohemus habet, quod discernere potuerint, quae deceant, quaeue non deceant, a *rozezna wäg, cosl'ussj neb nesl'ussj*; γ) *principium cognoscendi*; ecquod vero illud est? *Natura?* non sane, sed *lex* (latius sumpto hic vocabulo, vt & euangelium sub se complectatur) nam dicit, *instructus ex lege*. Sed lege forsan naturali? nihil minus; verum ea, in qua aquiescebant